



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Prima Duo Sæcula Complectens

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1758

VD18 13322648

§. 15. SS. Petrus, & Paulus Romæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66002](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66002)

- Sæculum I. mature inire matrimonium, & ibi amo-
 A. C. 66. res, etiam nefandi, non solum Legum
 auctoritate impunes, sed & in honore
 erant. In hac epistola S. Paulus Doctri-
 nas tradit, quibus Titus omnem ætatem,
 & sexum imbuat, Senes, & Anus, quæ
 instruant juniores, juvenes, & servos.
 Monet, ut Pseudo-Doctoribus, præsertim
 circumcisis, resistat, severe corripiat, &
 hæreticum post primam, & secundam ad-
 monitionem devitet. Sub finem, inquit:
 1. 10. *quando Artemam, vel Tychicum ad te mi-*
 3. 10. *sero, ne tardes venire ad me Nicopolim, ibi*
 3. 12. 13. *enim hiemem transigere statui. Cura di-*
ligenter Zenæ, Doctoris legis, & Apollo
profectionem, ut nihil eis desit.

§. XV.

SS. Petrus, & Paulus Romæ.

- Hieme transacta, S. Paulus Ephesum re-
 diit ad Timotheum, & inde Troa-
 dem. Trophimum ægrotantem Ephesi
 reliquit. Erastus mansit Corinthi, ibi
 enim civitatis ærarium ipsi erat concre-
 ditum. S. Paulus Romam secundo ve-
 nit; ubi ad Neronem delatus, ab omni-
 bus desertus est; ita ut nemo eum co-
 ram hoc tribunali comitaretur. Nihilo
 minus opitulante Deo ab hoc periculo li-
 beratus est. Per unum annum adhuc
 Romæ moratus, Gentilibus, undequa-
 que

que convenientibus, Evangelium prædicabat. S. Petrus ea tempestate Romæ erat cum S. Paulo, eosque Deus instantis suæ mortis præscios fecerat. Non solum fidem Christi, sed & futura annuntiabant, quæ a Jesu Christo acceperant; Judæorum Gentem jam jam perfidiæ poenas daturam, brevi a Deo Regem mittendum, qui Judæos bello subigeret, civitates eorum everteret, & ad tantam famem redigeret, ut concivium suorum corpora devorantes, mortem quidem differrent, sed effugere non possent. Superstitibus inimicis suis servituros. Uxores, filiasque in conspectu Patrum, & virorum violandas; parvulos ad parietem allidendos, Patriam ferro, & igne devastandam. Miserandis captivorum reliquiis usque in finem sæculorum in tristi exilio moriendum. Hæc omnia, a SS. Petro, & Paulo Romæ prædicta, litteris mandata sunt.

Sæculum I.
A. C. 66.

2. Pet. 1. 14.

2. Tim. 4. 6.

Lañ. 1. IV.

c. 21.

§. XVI.

Portenta, & Belli initium.

Inter hæc Jerosolymæ multa prodigia contingere, quæ in pessimum rerum futurarum omen trahebantur. Anno Neronis undecimo, Jesu Christi sexagesimo quinto, octavo mensis Xantici juxta

S. Petrus.

Nero.

A. J. C. 65.

Jos. VII.

Bell. c. 12.

p. 960.

ta